Clariss. viro Reverendiss. dni Archiepi Moguntini cancellario.

Vir clariss. Puto me heri amice, fraterne, et ut christianum hominem decet, cuiusque dignitatis in qua sum dei et Regis christianiss. beneficio collocatus, Tibi fontes horum tumultuum ostendisse, et quibus remedijs sanari possent, que homines imperiti, aut malevoli efferant potius in vulgus, res ipsa ostendit nos tot laboribus, periculis et impensis hoc unum quesivisse, ut constituta libertate germanie et renovata veteri amicitia cum illustriss. imperij ordinibus, secure post hac de rebus ad universum christianum orbem pertinentibus deliberaremus, quorum successum hactenus inexplebilis hostium nostrorum ambitio impedivit. Deum opt. max. precor ut eo consilia vestra dirigat, neque vos tam cecos esse patiatur, ut hoc incendium ruina restinguatis. Quod ad me attinet, si hic eam quam merito sperabam nostri et voluntatis mee rationem haberi vidissem, non pretermisissem ea omnia in medium proferre, que salutaria esse, tam bene forsan quam quisque alius harum rerum usu didici, sed cum ita agi videam, ut non solum non falsis rumoribus homines quidam in odium adducant, sed sicarios etiam subornant, qui nos vel in ipsis hospitiorum nostrorum penetralibus iugulent, saluti mee qua ratione possum consulam, Tibi tamen alijsque omnibus quibus hic sunt cogitandum relinquo si quid mihi sine communi omnium germanorum perfidie nota accidere posset.

Vale.

Tuus Ioa. Frax Eps Baionen.